

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

IV. De altitudine majestatis divinae, et quibus modis homo conscendat ad
eamdem.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui est redemptio nostra, cui Pater iudicium omne dedit. Ipse in novissimo renovabit cineres corporum humilitatis nostræ in vasa gloriæ, de quibus Pater in die solemnitatis suæ bibit cum Filio, et sociabitur de omni sanctitatis gratia, quam Sanctorum mentibus et corporeis sensibus infuderunt. Ego ex te et tu ex me vicissim bibemus, et satiabimur ex omnibus bonis quæ contulit in nos Deus. Beatus qui nunc firmiter stat, et non effundit hic tamquam fatuus a Deo gratiam sibi datam. Hujus ignis fumus omnia temporalia sunt et terrena; quæ licet pulchra et delectabilia sensibus carnalium et cordibus appareant, multa tamen amaritudine sunt respersa. Elevata enim sicut fumus disparent et excæcant sublimes, generantque lippitudinem sanctitati. Hujus ignis quieta commoditas, jucunda voluptas est, qua intus divino amore accendimur, ut in charitate vicaria in Domino maneamus, subjicientes jugiter ligna virtutum, quibus ille charitatis igniculus foveatur. Hujus ignis adustio est verbum asperum quod dicitur reprobis: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Splendor hujus gloriosissimi ignis limpida contemplatio serenissimæ Trinitatis, quæ corpora animasque nostras perlustrans, capaces reddit illius admirandæ amandæque beatitudinis, cujus celsitudinem in hac vita nec cogitare nec edicere prævalemus. Hæc de hoc igne prodeunt [in eumque redeunt] secundum divinum iudicium, ad ejus gloriam sempiternam. Quicumque voluerit iis aliquid adjicere jactet se in ignem, videatque et gustet quemadmodum fluit divinitas, fundit humanitas, luctatur cordaque cogit Spiritus Sanctus, satagens ut super omnia diligatur Deus.

IV. DE ALTITUDINE MAJESTATIS DIVINÆ, ET QUIBUS MODIS HOMO
CONSCENDAT AD EAMDEM.

IN raptu subito vidi montem. Corpus namque non sustinet nisi momentaneam visionem. Eratautem radix montis sicut nubes lucida, vertex ejus ignea, ut sol clara; finis ejus et initium non sunt visa. Intra semetipsum jubilans in

II. 21.

modum fulgoris aurei, in deliciis innumeris effluebat. Et dixi: « Domine, beati oculi qui hanc supernam ac tanti amoris effluentiam, et hæc mirabilia perpetuo contemplantur, quæ ego non possum verbis aliis nominare. » Et dixit mons: « Oculos qui me intueri desiderant, oportet radio septemplici clarescere, sine quibus nullus oculus me videbit. Hoc est: nolle mutuare, libenter solvere, nihil in se retinere, -fidus odientibus [vicem non reddere], benignus et amicus crudelibus, purus a culpis, paratus et gratus in adversis et prosperis acceptandis. » *Dicam hoc expressius ut intelligas luculenter. Accedens ad contemplandum Deum, emunda prius oculos mentis, intellectum videlicet et affectum. Si peccandi, libidinem invidiæ odiique rubiginem, ac iracundiæ insaniam a voluntate tua absterseris, affectionis oculus est purgatus. Age pœnitentiam, emunda conscientiam, expelle desidiam, apprehende patientiam, et sic illustrata intelligentia, in montem istum leva oculos tuos, et veniet tibi auxilium a Deo tuo.*

V. DE CONSILIO DIVINARUM PERSONARUM, ET DE CREATIONE
OMNIUM RERUM A SPIRITU SANCTO INCHOATA.

III. 9.

PATER misericordiarum Deus, ego indigna gratias ago fidelitati tuæ, qua me eduxisti extra me in mirabilia tua, quod in tua veritate (a) vidi et audiui consilium et factum ante sæcula præordinatum. Cum enim esses solus, in tuis deliciis nulli communis, in Filio et Spiritu Sancto resplenduisti, et hi vicissim in te. Eratque Trinitatis hujus unitas indivisa; in Patre omnipotentia, in Filio sapientia, in Spiritu Sancto clementia; *et hæc in tribus æqualiter adorantur.* Spiritus Sancti liberalitas in his Trinitatis deliciis ludens, dixit ad Patrem: « Charitatis consilium ex teipso tibi, Pater, offero, venerande, infecunditas nos non decet; regnum habere volumus creatum. Nam Angelicos spiritus mihi conforma-

a. perfecta Trinitate. Ita codex B. ad oram paginæ.